



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvatris, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

7. Dies 2. infra Oct: Epiphanix. Esse poßibilem perfectionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

acquisitione composita, & perfecta, cujus terminus est vita perpetuò duratura. Mediū ex præcipuis Sanctissima Eucharistia, quam optabo sumere, ut Christum D. hodie acciperunt Magi.

MEDITATIO VII.

Dies 2. infra Octavam Epiphaniæ.

Esse possibilem perfectionem.

Aspiciam primitias gentium, ex mente D. Chrylost: Apostolicam, Christi que vitam imitantium. Petam eos assequi.

Conf. 1. Vanas cogitationes eorum, qui sibi januam perfectionis clausam putant ob ignorantiam. At non scientia sanctum facit: inflari fortè non poteris, at poteris esse humilis, mansuetus, obediens, observans præceptorum Dei, & consiliorum.

Conf. 2. Anne adversa valetudo, capitis, stomachi dolores, corporis que debilitas impediat? at patientia opus habet perfectum, & Apostolus dum infirmatur, fortior est.

Conf. 3. Jejunare, vigilare, corpus flagris & cilicijs affligere fors non potero? at patientiam habere potero, indigentiam necessariorum sine murmure ferre, divinæ voluntati me, & mea omnia submittere potero, Deum amare potero.

Conf. 4. An negotia, & curæ ab obedientia

14 *Dies 2. infra Oct. Epiphaniae.*

cia demandatae, à perfectione me prohibeant? at perfectio non sola prolixa lectione oratione, quiete, sed & labore acquiritur. Ex occupatissimis plurimi sanctissimi exierunt. Laborabo ergo ex charitate, & obedientia, in occupationibus quod superfluum amputabo, quod profanum resecaho, quod distortum dirigam, quod inquietum removebo, quod distractum colligam, quod tepidum, ac triste, luce alacritatis & igne amoris succendam.

Conf. 5. Mentis ariditas, affectuum impetus, tentationum molestiae, iter mihi ad perfectionem intercludant? at si lacrymae, consolationes, coelestis lux, & cordis tranquillitas fugerunt, non fugiet perseverantia, cognitio propriae indignitatis, compunctio exterior, culparum confessio, solidarum virtutum fervor, quae sine consolationibus ad Salvatorem adducunt. Affectus moderetur bona voluntas, comprimat mortificatio, timor Domini coërceat. Tentationibus resistendum est: non enim impediunt viam perfectionis sed juvant resistentes ad eruditionem, ad humilitatem, ad roborandum charitatem.

MEDITATIO VIII.

Dies 3. infra Octavam Epiphaniae.

De puro DEI amore motivo ad perfectionem maxime.

Aspi